

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0919

Mercoledì 25.11.2015

Lettera del Santo Padre all'Inviatore Speciale alla celebrazione del V centenario della città di Cumaná (Venezuela) ove cominciò l'evangelizzazione del Sudamerica (27 novembre 2015)

Lo scorso 17 ottobre è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Nicolás de Jesús López Rodríguez, Arcivescovo di Santo Domingo, a Inviatore Speciale del Santo Padre alla celebrazione del V centenario della città di Cumaná (Venezuela), ove cominciò l'evangelizzazione del Sudamerica, in programma il 27 novembre 2015.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Nicolás de Jesús López Rodríguez:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
NICOLAO DE IESU S.R.E. Cardinali LÓPEZ RODRÍGUEZ
Archiepiscopo Metropolitae Sancti Dominici

Cumanensis urbs, a die XII mensis Octobris anno MCMXXII Ecclesiae Metropolitanae eiusdem nominis sedes, inter alia Venetiola loca quasdam ob rationes clare eminere coepit. Apud enim eius litora praeclarus explorator Christophorus Columbus anno MCDXCIV ex navi in terram primis cum missionariis exiit atque hoc modo, fratre Bartholomeo de Las Casas moderante, opera evangelizationis in America Latina est incohata. In eadem urbe denique est celebrata Sancta Missa, prima in illa continentि.

Quandoquidem nunc fideles et omnes incolae Cumanenses grato animo tum quingentos annos a sua urbe condita celebrant tum initium evangelizationis Americae Latinae, Venerabilis Frater Didacus Raphael Padrón Sánchez, memoratae ecclesialis communitatis sacrorum Antistes, quaedam pastoralia incepta suis proponit fidelibus cunctisque hominibus bonae voluntatis, ut omnes in diuturna huius gregis historia Domini largitatem dare mirari possint atque incitamentum experiri ad renovatam vitam sub Christi lumine assidue sequendam.

Idem etiam sacer Praesul, nomine totius Conferentiae Episcoporum Venetiola, cui diligenter praeest, humanissime Nos rogavit ut aliquem eminentem virum mitteremus, qui Nostras vices in eventibus celebrandis gereret Nostramque erga omnes Venetiola filios filiasque dilectionem manifestaret. Ad Te autem, Venerabilis Frater Noster, qui Metropolitanam Ecclesiam Sancti Dominici moderaris, mentem Nostram vertimus Teque hisce

Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM nominamus ad celebrationem, die XXVII huius mensis Novembris, quintae centenariae anniversariae memoriae fundationis urbis Cumanensis atque primordiorum operis evangelizationis in America Latina.

Sollemni praesidebis Eucharistiae atque memoratum Archiepiscopum Metropolitam aliosque sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro salutabis nomine. Omnes adstantes sermone tuo ad diligentiores etiam Christi exempli in vita cotidiana imitationem cohortaberis. Optamus denique ut cuncti, insignem historiam urbis et archidioecesis Cumanensis recolentes nec non totius operis evangelizationis in terra Americana, novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem erga Christum eiusque Ecclesiam demonstrent.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitamus atque, Beata Maria Virgine intercedente, tibi necessaria divina adiumenta a Deo omnipotenti imploramus.

Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimus, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die IX mensis Novembris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[02087-LA.01] [Testo originale: Latino]
